

Thesum chiriatricarum sylloge V. De fonticulis ... / [Johann Ulrich Raith].

Contributors

Raith, Johann Ulrich, active 1675-1676.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Johann-Henrici Reisii, 1675.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s5tub2ew>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15

THESIUM CHIRIATRICARUM
Sylloge V.
De
FONTICULIS,

Quam
Sub
RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO
Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domini,
D O M I N I

GEORGII FRIDERICI,
Ducis Wirtembergiæ & Tecciæ,
Comitis Montisbelgardi, Dyna-
stæ Heidenhemii, &c.

P R A E S I D E

DN.GEORG-BALTHASARE METZGERO,
Med. Doct. & Prof. P.

defendere conabitur

JOHANN. ULRICUS Raith /
Derendingensis.

Ad Diem Junij,

Hœris locoque consuetis.

T U B I N G Æ ,

Typis JOHANN- HENRICI REISI,

Anno M DC LXXV.

и възмѣтилъ

и възмѣтилъ
и възмѣтилъ
и възмѣтилъ

и възмѣтилъ
и възмѣтилъ
и възмѣтилъ

и възмѣтилъ
и възмѣтилъ
и възмѣтилъ

и възмѣтилъ
и възмѣтилъ

и възмѣтилъ
и възмѣтилъ
и възмѣтилъ

Σὺ Θεῶ.

T H E S I S I.

Ulod hodiè *Latinis Chirurgis FONTICULUS*, Barbaris *Italorum* linguâ **FONTANELLA** est, primitivâ olim voce *Rhases de cauter.* fontem dixit. Huc enim velut ad excavatum fontem vitiosa corporis sentina confluit; hinc, ut è fonte perenni aqua scaturigine, totô subinde vitæ cursu vitiosus sanguini humor effluit. *Franciscus Oswaldus Grembs arb. integr. & ruinos. hom. l. 2. c. 1. §. 9.* habitâ etymi fontis ex *Isidororatione*, non incongruè cum nonnullis **FUNDANELLA** scribit: ille aquas, sanguinis hæc ichorem fundit. Ab *Italorum* ore suum vernacula nostra **Fontanell** mutuata est, sponteque hinc suâ distinctio, quam *Thomas Fienus* inter synonymum utrumque, alterum *Latinum*, *Italicum* alterum, ceu genus inter & speciem, quærit 1. *de cauter.* 2. corruit. A Romanis non abeunt *Graci* qui *πυγῆδιον*, *Φρεάτιον* nominant. **Kawthēdōn**, **Cauterium**, usitatissimè utrâque linguâ sonat, generali & tropicô sensu, frequentiori cau- fâ in effectûs locum surrogatâ; & sanæ quidem partis, cui familiariter applicatur. **Ulcus emissarium**, quod, quicquid in corpore sordidum, emittit, utile, beneficii quod præstat intuitu, *M. Aurelius Severinus pyrotech. chir. l. 1. p. 1. c. 15. l. 2. p. 1. c. 1. de recond. abscess. nat. l. 6. de gibb. vocat.* **Vulnus cauterisatum**, constans, *Joh. Baptista Helmontius l. cauterium § 3. 4.* intitulat: nec malè artificiales fistulas dixeris, ut naturales hæ fonticuli audiunt, quorum vices in ægris non raro supplent, experientiâ & hâc edocto *Hier. Fabritio ab Aquapendente l. 3. de ulcer. c. 11. subscribentibus*; recteque inde *Ludovicus Mercatus l. 1. de rect. præfid.*

presid. usū. c. 16. fistulari apud naturam ferè idem importata ex arte fontanellam efficere. Ομορύμως ulcus omnē cujuscunque partis aut formæ, evacuationis gratiā sive arte sive naturā factum, signat. Nec sua deest fontanella Anatomicus, quā de horum libri consulantur. Nos h. l. nec hunc nec illum sensum volumus, sed quem thesis sequens exprimit prioribus primō statim intuitu contradistinctum.

II. Est ulcus artificiale, simplex, cavum parvā & rotundā circumscriptum circumferentiā, in exteriori corporis parte, sive igne urente sive ferrō secante, ad vitiosos à sanguine diversos humores sensim exhaustiū excitatum.

III. Incertō autore excogitatum remedium hoc, verisimiliter tamen à plantis & arboribus ad hominem traductum, autumat Severinus l. c. c. 3. Consuevere, Pliniō autore, prisci, cum aliquō noxæ genere laborarent olivæ, peccantis succi evocandi causā, ad harum caudicem unum vel plures hiatus terebrā vel securi facere; idem in vitariis omnibus fieri Ioh. Costaeus l. 1. de stirp. nat. c. 57. prodidit. Quod igitur in arboribus ante tentārant felicit̄, idem post in inversa Philosophi arbore, homine, factu commodum rati sunt; magna enim ex parte similis hominum medicina & arborum, eodem judice l. 17. hist. nat. c. 27.. Quid si in homine ipso inventionis natura occasionem monstrasset, utque sanguinis per venas detractionem artificiale spontanea ejusdem vasis sponte suā dehiscentibus facta cum salute profluvia suaserunt, ita hæc arte excitanda ulcuscula ulcera sponte naturæ subinde in externis artubus orta persuasissent? vide Caspar. Bartholinum syntagm. de cauter. c. 1. Guerner. Rølfincium meth. med. spec. comm. l. 4. f. 6. p. 2. c. 1.

IV. Sed cuius ætatis inventum? Incertō licet primō autore, totum tamen cauteriorum negotium ex veterum

terum monumentis haustum *Herc.* *Saxonia de phanigm.* in
 pref. credit, imò ab uberrimo illo ac perenni medicinæ
 fonte, *Hippocrate ipso*, dimanasse *Zac.* *Lusitanu.* *Med.* *Princ.*
hist. *l.* *i.* *obs.* *15.* *in comm.* cum *Amato Lusitano l.* *s.* *c.* *7.* afferit:
 frequentatos etiam hos *Hippocratus tempore* *Matthias Glan-*
dorpius in gazophyl. *polyplus.* *fontic.* & *setac.* *pref.* *oper* & *l.* *c.* *c.*
16. statuit, idemque *Severinus l.* *d.* probat & approbat va-
 riis *Hippocratus locis ostensis*, quô cum *Thom.* *Fienus l.* *i.* *de*
cauter. *c.* *13.* & alii faciunt. Contra stant. *Hier.* *Cardanus de*
spir. *diffic.* *Dominicus Galbanetta de fontic.* *l.* *i.* *c.* *4.* *Stephanus*
Rodericus Castrensis quæ ex quibus *l.* *4.* *c.* *9.* Rem distincti-
 one *Cass.* *Bartholinus l.* *c.* *c.* *5.* dirimere satagit. *Cass.* à *Rejese*-
lys. *jucund.* *quæstion.* *camp.* *q.* *56.* *Coum usum fonticulorum*
 agnovisse, sed non usitasse nec cuiquam consuluuisse scri-
 bit. *Christophorus Schorerus* cum catarrhis apud *Platonem*
3. *de republ.* *Homeri tempore* primum visis natos hos præ-
 cipuos catarrhorum averruncos *tr.* *de fontic.* suspicatur.
 Nos, utut in quæstione hac magis curiosa quam utili fa-
 cilè largiamur *Antonio Fumanellæ de cap.* *ustion.* nullibi sive
Hippocratem sive *Galenum* fonticulorum privatô nomine
 meminisse, nomen tamen hoc verius ignorasse, non rem
 ipsam putamus, quam pro temporum suorum more sub
 generali titulo, communi cauterii velô, occultârunt.
Lazarus Sotus l. *de loc.* *t.* *130.* sub fistulæ apud *Coum* nomine
 latuisse persuasus est. Scil. ubique fonticulorum vesti-
 gia & umbræ occurrunt, usus ubique desiderabatur, vel
 nondum visis catarrhis, quod de mox infra constabit.

V. Quod igitur prisorum sagacitas invenit, po-
 sterorum post experimenta perfecerunt, confirmarunt,
 fonticulorumque nomen & fama eō potissimum tem-
 pore innotuere, quod lues Venerea, horrendum illud
 scortatorum flagellum, in agrū Italicum irrupit, teste *Do-*
minico Galbanetta l. *c.* in quā salutare præsidium suum tantū

non toti oībi probarunt, *Minadoō præcone*, sique Ita-
lorum præcipue, mox & aliorum populorum gratiam
de facili occuparunt, ut ἀλόγως planè facere, rationi
& experientiæ obloqui videantur, qui vel novitatis aut
insufficientiæ notā, vel inutilitatis, fœtoris aut molestiæ
tædiō, imd pœnitendæ noxæ crimine aut colere quo-
cunque aliō, fonticulorum usum defamare cogitant,
horumque implorantes asylum, in proximum non mo-
dò injurios, sed in D E U M ipsum blasphemos procla-
mant cum *Prosp. Martiano comm. in Hipp. de tumor. Joh.*
Baptista Helmontio l. cauterium inscripto, nec non asthma &
tussis, it, de latice & alibi, mirarique subit etiam *Jacob.*
Primerosium l. 4. de vulgi errorib. c. 56. in horum castra
transiisse tot tantisque rerum testimoniis contraniten-
tibus. Rationes illorum vel retulisse refutasse est; u-
trumque ad satiem præstitere *M. Aurelius, Severinus l. d.*
c. 5. Joh. Scultetus armament. chir. p. 1. tab. 55. Guerner. Rol-
fincius l. c. 7. & de febrib. c. 126. Christophorus Schorerus l.
c. Paulus Zacchias t. 3. quæst. Med. Legal. consil. 83. Paulus Am-
manus Med. Critic. c. 35. Actum non agemus.

VI. Vindicatâ itaque fonticulorum dignitate, ad-
ministrationi proprius accedimus, materiam seu instru-
menta, horum applicationem, locum, tempus & de-
nique usum visuri.

VII. *Materia s. instrumenta sunt ignis urens & fer-
rum secans*, vel sold nomine exosa & nescio quid crude-
le spirantia. *Ignis actualis & potentialis* in usum vocatur.
Illum plerique ægrorum, præprimis nostratiū, morbō
ipsō gravius remedium habent, unde iste apud *August.*
Thonerum, Medicō cauteriū vulnus suadente, honestus,
exclamat, *civis sum; maleficus illā pœnā dignus & sce-
leratus.* Non item Itali, Galli, Hispani & nationes aliæ,
quæ totō hunc die admittunt, præclarum encomium
omni-

omnibus paginis deprædicant, usum inculcant, videsis
*Hier. ab Aquapendente in oper. chir. Bened. Sylvaticum in con-
 sult. med. Laz. Riverium in praxi, Ludovic. Mercatum l. c. &
 complures alios à Glandorpio l. d. c. s. collectos*, quibus
 hic ipse calculum suum addit, & imperatas à se fonta-
 nellas 14. annorum, dum Medicum egit, spatiō, duabus
 exceptis, vel actuali omnes cauteriō vel sectione per-
 actas testatur.

VIII. Tot autem *Actualium* [quæ Clavilia *Joh. Andr.*
 à *Cruce* in offic. chir. vocat.] tūm solidorum tūm liquidorum
 genera sunt, quo corporum ignitorum, quæ ad urendum
 conduci possunt, hæcque magno Veteres agmine ex vege-
 tabilium, mineralium, animalium regno convocarunt,
 quorum tamē potissima hodiè ob ineptitudinem & cau-
 sas alias apud *J. Costæum de præsid. ignis c. 28. M. Aurel. Seve-
 rinum l. d. p. 2. c. 12.* obvias exulant. Ex solidis primas
 tenent mineralia, & hæc inter ferrum ignitum, hoc in
 negotio ob certiorem & fideliorem, quam pollicetur,
 operam, aurō ipsō, ditioribus ab *Avicenna* commenda-
 to, carius, in varias formas, partium & morborum va-
 rietate ita jubente, effectum, de quibus *Joh. Andr. à Cru-
 ce, Paræus, Aquapendens & cæteri* videantur. Liquidorum
 numerum varia iterum augent, aqua simplex, saponis,
 oleum, mel, butyrum, adipes, sulphur, plumbum lique-
 facta, omnia servida. His tamen sicca præstare, com-
 munis omnium vox est; cum enim, ut reliqua tacea-
 mus, humidorum in morem huc illuc diffluant, nec
 suis facile terminis contineantur, plerumque debitos
 exulcerationis limites transcendunt, quod in solidis ca-
 vere haud difficile est.

IX. Utrisque tamen *Potentialia*, de quorum no-
 bis virtute certò constat, in pyrophobis præsertim &
 nostratis longè præferuntur, quæ ignem actualem

præ se non ferunt, vim verò ignis æmulam, adulando
 quasi, unde æmulatoria, adulatoria audiunt, à partis
 actuata calore, ægro ne quidem opinanti satis produnt.
 Horum tantus iterum numerus, quantus Chirurgorum
 aut barbitonsorum, quorum singuli sua hic secreta cre-
 pant. Solida sunt & liquida, eademque simplicia &
 composita; illa ex benigniori materia primitus consta-
 bant, ab *Oribasio*, *Aëtio*, *Celso* notata, ex quibus *Thom. Bar-*
tholinus nihil efficacius cinere fraxini scribit *dissert. 5. de*
Med. Danic. Post δρασικώτερα alia addita sunt χ-~, au-
 ripigmentum, butyrum ȝij, aq. fortis. Ex compositis
 ubivis obviis lapis ruptorius *Joh. Fernelii 6. m. m. 19.* no-
 bilitatus est. *Conr. Victor Schneiderus l. 4. de catarrhus f. 2. c. 11.*
 globulum ligneum spiritu nitri probè inebriatum extol-
 lit. Itali & Galli varia indolentia jactant, hæcque in-
 ter *Phil. Grunlingius cum Heurnio 1. meth. ad prax. & Sen-*
norio instit. c. ult. sexcentis aliis è lixivio saponis para-
tum præfert c. 2. obs. Med. 38. Chimici ex Da in aq. for-
 ti soluta & in lapidem lanæ instar concrescentem l. a.
 redacta simile parant. Cœteris, ut famam hanc re-
 ctius sustineant, opium plerique admiscent, qualium
 apud Veteres & recentiores non pauca reperies; se ta-
 men divinare non posse fatetur *Fel. Platerus*, quô opium
 modô omnem ita partium sensum sopiat; cui adstipu-
 latur *Paræus*; nec opus hōc esse putant, modò decens
 adustionis locus eligatur; contra ubi fit, etiam indo-
 lentia illa, etiam opio nupta dolorifica fieri. Experien-
 tiam tamen opponit *Joh. Agricola rationes omnes elu-*
dentem comm. in Popp. part. 2. tr. de arsenie. Verùm e-
 nim verò etsi ἀναθησία, hōc modô aliquam & veluti bru-
 tum sensum induci posse non inficiamur, cùm tamen
 non semper satis tutum opii consortium sit, [gangræ-
 nam enim hōc inductam *Franciscus Hildesheimius spicileg.*
 1. de

i. de affect. cap. notavit] quid opus huic se periculo submittere, cum præsertim, ubi secundum artem fiunt, de insigni adeò dolore metuendum non sit? minore enim dolore & periculô cōficiuntur, quām venæ ad emittendum sanguinem aperiuntur, *Sculptetô testel. c.* Sed sat de igne.

X. Sequitur *Ferrum secans*, quod sub diversa etiam facie operam suam elocat. Phlebotomus huic placet, illi scalpellum, aliis alia. Sunt qui lanceolam, imò & forficam admovent. Suum cuique pulchrum. Dum verò in universum secans hīc ferrum chirurgorum manibus excussum vult *Sculptetus l. c. p. i. tab. 30. & tab. ss. fig. i.* assensum eidem nostrum non damus, nec allegatae eum rationes merentur.

XI. Quicquid autem elegeris, modò administrandi seu ἔγχεια στει certâ opus est, ferroque, ut hīc incipiamus, vel simpliciter inciditur cutis, vel manu utrinque elevata lanceolâ discinditur, statimque pisum vulnusculo imponitur. Modum hunc omnium expeditissimum & omnis expertem periculi pluribus *Johannes van Horne in microtechn.* laudat. Operosior alter est *Glandorpii*, qui cutem forcipe in medio perforatâ apprehensam à subjectis musculis attollit, deinde id, quod forcipis foramen implet, apto cultellô aufert, rotundò statim foramine relictô. Peculiare imò instrumentum aliud forcipem incisoriam dictum invenit, quod & apprehendit cutem & ad decentem ulceris foramen simùl excindit. Modum cum instrumentis delineatum vide *l. c. c. 8. & 12.* ubi pariter, quæ hanc operationem pre- munt, difficultates recensentur. Frigidum hoc, cuius *Paulus meminit. l. 4. c. 7.* cauterium censemus, de quo aliás varia variorum Autorum judicia leguntur, aliud-

que ab hoc nostro. *J. Cæsar Claudinus* in *responsion.* *Med. c. ult.* de *usu & nat. cauter.* fistit ab effectu hōc, ut putat, *nomine insignitum.*

XII. Quā caustica *actualia* primi quidem Inventores simplici ferrō ignitō, quō adurebant, contenti erant; auctā pōst arte, in innocentis vicinæ partis tutelam, adjectum alterum fuit defensorium non ignitum, fœmina dictum, quod loco adurendo imponitur, ignitumque seu mas in fœminam intruditur, ut cutem manifestō ita modō adurat. In meticulōsorum solatium *J. Casserii Placentini* ιχνιπυρετού s. pyxis cuiuscunque aptæ materiæ occultum intra se Vulcanum gerens, cumque ignis adspectu omnem ægro metum adimens inventa fuit, prædita ex altero extemo, quō parti apprimitur, orbiculari foramine, ex altero operculō carenti ferro conjunctō, quod deorsum pressum, jam durius jam mollius, pro partis lædendæ dispositione, ætatis conditione, ægri constitutione, inurit, quæ & alia scitu hīc digna *Aquapendens oper. chirurg. de fontic.* plenius explicat, exhibitā accuratā insimul anatome instrumenti in adjectis circa finem figuris *adp. 122. l. c. Scultetus* plusquam sexcentos hōc modō fonticulos cum admiratione adstantium & patientium risu paravit *l. c. tab. ss.*

XIII Potentialium communis administratio sequens est: locō inventō emplastrum triapharmacum aut defensorium aliud tenaciter adhærens ad pisi magnitudinem in medio perforatum imponitur, cui pōst foramini cauterium sputō prius, si solidum est, madefactum, ut nudam cutem lambat, concreditur, mox aliud quod firme & retineat, superadditur, fasciisque pars involvitur: in liquido pro defensione paulò majore curâ opus est, ut ex chirurgis patet. Obtentō fine, quod nunc citius nuntardius sit, & escharā præsente, vel butyrum s. s. familiarite

ariter inungitur, quod tamen *Aquapendens* ob metum gan-
grænæ repudiat, vel unguentum de betonica, empla-
strum diapalmæ, aut horum simile maturans, cataplasma
apud *Sennertum* in *instit. descriptum*, donec eschara separa-
tur, applicatur; excavato ulceri pisum, globulus rad.
gentian. ligni hederæ vel pilula cerea inditur, spleniolô
aut chartâ cereatâ, folio hederæ, chartâ bibulâ aut luso-
riâ super injectis, ne excidant, munitur, sordesque bis vel
etiam ter de die absterguntur. Hodiè familiariter liga-
culis coriaceis, laminas cupreas, argenteas, continentibus
utimur. Verùm cum sœpius debitum ligaturæ modum
vix & ne vix quidem tenere possimus, laxior autem glo-
bulum non satis fideliter firmet, strictior humiditatis non
modò sed & sanguinis affluxum impedit tabemque parti
inducat, commodius utique *Joh. Wallæi* emplastrum, quô
solô impositô absque ligatura fontanellas conservare no-
vit *m. m. p. 105.* applicaretur, modò modum hoc compo-
nendi aperuisset.

XIV. *Joh. Guintherius Andernacus de vet. & nov. Med. comm. 2. dial. 5.* notabilem alium fonticulos effodiendi
modum tradit, radiisq; Ois pilâ crystallinâ exceptis par-
tem adurit: successûs non infelicitis secuti *I. Andr. Matthio-*
lus comm. in Dioscorid. l. 5. c. 56. testem se autoptam sistit. I-
dem causticô sive urente vitrō fieri posse *Glandorpius* autu-
mat *l. c. c. 3.* Operatio verò nobis cā, quæ fit ferrō canden-
te, longè molestior videtur.

XV. Pergimus ad *Locum*. De hoc in genere si quæ-
ris, commodissimus ille est, quem æger oculis & mani-
bus tractare, cui ligaturas commodas applicare potest,
quô suam vasa sarcinam vitiosi ichoris sine dolore aut eo
tamen exquisitorie exonerare norunt. In hoc verò eli-
gendo dici non potest, verbis *Rofsinccii*, quām hæreant,
quos Anatome, Medicinæ oculus, destituit, chirurgi;

inurunt quidem cauteria, sed quæ vehementibus ægrum doloribus, quoties in musculi corpus aut tendinem incidunt, excruciant *dissert.* *Anat. l. 1. c. 1.* quæ sentinam non exhausti, nullâ ligaturâ muniri possunt. In specie vero in variis infimi, medii & supremi ventrum partibus hæc Veteres ulcuscula excitarunt à *Severino l. 2. pyrotechn. chir. p. 1. c. 7. §.* notatis, sed potissima suis cum Autoribus desiere. Memoratu dignum est, & nusquam ullorum scriptis, ut putat, notum quod *Thom. Bartholinus* inter primam secundamque dorsi vertebram inustum feliciter, in metuphthiseos, quam defluxiones à capite minabantur, novit *c. 4. hist. Anat. 33.* An hoc ipsum illud est, quod *Paulus Barbetti chir. c. 20.* Italos in dorso summo etiam successu parare scribit? Tres verò partes supersunt, quibus consueti hodienum fonticuli fiunt, caput, brachium & crura.

XVI. Caput triplici iterum in loco huic operacioni subjicitur, in sincipite, occipite & post aures. Sincipitis in suturæ coronalis & sagittalis concursu adustiones Italos præprimis celebratae sunt, persuasis hâc potissimum viâ humores in cerebro collectos & ad inferiora descendere consuetos emungi, laudantque hoc nomine *Aquappendens oper. chir. Severinus, Zac. Lusitanus, Scultetus l. d. & plures propriâ & alienâ nixi experientiâ, simulque locum, inveniendi viam & operandi modum monstrant.* Nos, omnium pace, et si de hujus emissarii viribus in humorum vitiō evacuandō egregiis, quas varia hinc inde facta experimenta satis superque defendunt, nulli dubitemus, quia tamen ob delicatæ partis conditionem multis hæc operatio periculis, etiam superficiali tantum cutis inustione suscepta, quâ contentus est *Rofinccius meth. cognoscend. & curand. cap. affect.* exposita est, nec ex infradicendis priva hæc capitatis excrementa effluunt, sed sanguinis, quibus æquè

æquè faciles & tutiores per alias corporis partes effluendi rimas monstrare possumus, vel hac de causa cum *Job. Baptista Montano* cons. med. 143. coeteros ut silentio transeamus, hoc commendare præsidium non audemus, adde *Senneratum* l. 1. pract. p. 1. c. 5. q. 3. Augere periculum *Theophilus Kentmannus* potest, qui calidum innatum & humidum radicale halitus hic instar efflari quotidiè metuit; sed ridiculè. Secundus in occipite locus nucha est, inter primam & secundam colli vertebram, ubi summa vertebra cum capite conjungitur. Emunctoriūm hoc cerebelli præp̄mis *Thom. Fienus* l. 4. de cauter. c. 12. habet minusque frequenter instituitur quām necessarium videtur secundum *Paul Barbetti* l. c. Sed exiguum huic etiam pretium ponit *Hildanus* dupli de causa c. 1. obs. chir. 42. cent. 6. obs. 4. cui adstipulatur *Domin. Panarolus* pentecost. 4. obs. med. 37. *Gregor. Nymanus* de *apoplexia*. Nec enim globulo locus nec deligationi, nec, quod meritò addimus, evacuatiōni cerebelli idoneus est. Tertium itaque locum eligunt alii in cavitate infra utramque aurem. Occasione huic fonticulo præbuisse putantur vetustissimi quidam Medici, *Rhases*, *Avicenna* &c. qui sœpè sœpius aurum adustionem inculcant, quā tamen potius nudam illam & simplicem adustionem quām nostram hanc voluisse videntur. Quicquid sit, parvam & hīc auxilii nobis spem pollicetur, cum omnem deligationem respuat, nec debitè fluat, sed statim exarescat, vide hanc operationem apud *Balth. Timæum* l. 1. epist. med. 23. à *Severino* laudatam: setaceum nostrō judiciō fructuosius substituitur.

XVII. Post caput Artus præ partibus reliquis hōc maxime remediō dignos censem Practici, unde brachiis & cruribus frequenter imperant; nec incongruē: huc enim vasā emunctioni paria decurrunt, ligaturæ comodè administrantur, facilisque humorum peccantium ri-

vulus allicitur. Et quidem in brachio locum quadruplicem quærunt, omnem tamē circa musculum deltoidem, cuius Antiqui potissimi medium vulnerabant, alii finem, quidam exteriorem seu sylvestrem; interiorem alii s. domesticam partem, & quidem rectissimè, plurium assensu, interstitium inter deltoidem & bicipitem musculos in parte potius superiore, ceu minus sensibili, quàm in inferiore, aggrediuntur. Contrarius tamen est *Sennertus paralip. 19. ad inst. l. 5. p. 1. s. 2. c. 9.* cuius rationes examinat *Schneiderus l. 4. de catarrhis c. 11.*

XVIII. In crure itidem locus variis varius placet; hīc supra, ille infra genu, hic in domestca, ille in sylvestri parte occupatus est. Domesticam autem sylvestri omnino præferimus, non tam ob vasa pauciora secundum *Aquapendentem*, quàm periculōsam lati musculi in exteriori crure obvii lœsionem secundum *Hildanum*, quem cùm rei ignarus inureret, malè successit apud *Grunlingum c. 2. obs 37.* Optimus verò iterum locus est interstitium muscularum & in specie supra genu inter vastum internum & sartorium seu gracilem anticum, quem vasorum vicinitas, tendines non adeò metuendi, deligationis commoditas commendant. In pedis interiore regione fiunt inter soleum & gastrocnemium, in exteriori inter gastrocnemium & peronœum. Hoc loco alterā vice non recte observatō apud *Grunling. l. c.* neque sic feliciter processit operatio. *Adrianus Spigelius* infra genu locum elegit in regione poplitea inter medios gastrocnemios juxta venam popliteam, quod inter duo bicipitis principia in brachio in usum quoque duci posse credit *Joh. van Horne. l. c.* In interstitio autem hoc inveniendo summa rei cardo versatur; exploraritamen digitia apice sub flexione & extensiōne partis & muscularum facile potest; in hoc enim motis muscularis, digitus quiescit.

Coeterū latus etiam observare jubent, qui omne hic punctum ferre volunt, & hepatis sentinam fonticulō dextri cruris, lienis sinistri exantlandam suadent; quod idem in brachio, dextrā vel sinistrā capitis parte affecta, inculcant, vid. *Aquapend. l.c.* sed sine fundamento, quod usus mox testabitur.

XIX. *Tempus*, anni respectu, ut quodlibet mōrbū quemlibet facere ex *3. aph. 19.* ita urgente necessitate, hujus remedium ferre potest. Ver tamen, si mōram indulget indicans, quod naturam adjutricem, vires vegetiores, humorum motum ad exteriora proclivem promittit, præ cœteris primas meretur, pōst autumnale. Laudari etiam dies serenus, hora matutina solent. Mōrbi intuitu, purgatione, V.S. & aliis, quibus opus est, præmissis nec proficiēntibus, ferrum & ignis valent *8. aph. 6. recogn.* *Vorſt.* Præviā hāc humorum pravorum in cacochymico corpore redundantium evacuatione de-super habitā, ruit maximō ad fonticulum impetu sentina cum partis corruptione & morte secutā apud *Panarolum pentecost. 4. obs. 21.* De durationis autem tempore, & quamdiu aperti tenendi sint, sollicito respondent communiter: quoque fluant. Rectius alii; quamdiu indicans adest. Unde errant, qui fonticulos vel nunquam iterum obstrui posse metuunt sine vitæ aut sanitatis periculo, ut choleram ex occlusō natam vidi *J. Michaël Fehrius de absinth.* mōrtem ipsam inductam *Crato in consil. 221.* pariaque tantūm non quotidiani casus varii suggerunt: vel ad certos dies, menses & annos restringunt. Mōrbi, causæ mōrbificæ præsentia & absentia, virium ἐυφορία rem determinare debent: utque natura ipsa non raro, causā morbi evacuatā, hos occludit sine noxa, ita & Medicus potest debetque naturæ imitator; sensim tamē sensimque *2. aph. 51.*

XX. Restat *Usus*, quem vitiosorum à sanguine diversorum humorum expurgationem sed paulatinam diximus; unde locum tuentur purgantis & phlebotomiæ in hominibus qui his ferendis non sunt, secundum Guidonem de Cauliac. de cauter. doctrin. 1. c. 3. arteriotomiæ secundum Guiliel. Rondeletium meth. cur. c. 14. substituitque in horum fastidio J. Baptista Sylvaticus pilulas mastichinas frequentem in usum vocatas cent. 1. obs. Med. 29. J. Sophronius Kozak scarificationem de sale c. 9. f. 19. nec non generosum cum illis Rolfinccius auxilium de febr. c. 83. Severinus l. d. universale, Schneiderus publicum emissarium 4. de catarrh. f. 2. e. ij. salutant. Vapores etiam nocivos hinc manumitti J. Cæsar Claudinus respons. med. 43. ex communi ferè consensu largitur: dubitare vero de his Rolfinccius l. c. coepit, & si effluunt, vix tamen hinc sublevari naturam credit. Sed quid hi, nisi humores attenuati? Tales autem è sanguine surgere, hunc, quo id redditq;, comitari, morbos producere & sui exhaustu tollere, in confessu apud omnes est. Paucis abhinc annis in pueri decennali notabilem sanguinis ventositatem, palpitationis cordis gravissimæ nec non totius corporis, excepto capite, convulsionum causam, aliis medicamentis ne quicquam proficientibus, V. sectione [secundum illud Hipp. τὴν ἀνεμήν Φλεβοτομίην] nullâ licet sanguinis guttulâ praeter votum effluente, feliciter solvimus, eodemq; simûl momento symptomata jam recensita, Deo benedicente, cum adstantium omnium stupore, sustulimus. Cur idem hâc apertâ viâ fieri negemus?

XXI. Humores autem effluere hi ipsi oculi nostri notant. Qui vero, quales & unde sint, Eridos inter Autores pomum est. Breviter: ut sanguinis non modò sed & lymphæ ductus, in artibus præcipue, occurront varii, ita vitiosam sanguinis colluviem variam, nec non

non lymphaticum humorem naturæ modum non tenentem exulceratis his locis stillare omnino persuasi sumus, unde nunc simplex, nunc varia & mista materia, nunc insipida & mitis, nunc salsa, acris, in transitu lancinans, modo cruenta, nonnunquam etiam purulenta, tenuis & viscida, nunc benigna, nunc maligna & venenata, nunc multa, nunc pauca, pro naturæ pellentis robore aut imbecillitate, materiæ adfluentis copiâ vel inopiâ effluit, nec pituitosus & melancholicus, si sanguini inest, humor, has vias detrectat, vide Casp. Hoffmannum de liene c. 9. Dan. Sennertum l. 3. prax. p. 5. f. 2. c. 2. errorisque ita facile convinci possunt, qui cum Prosp. Martiano, Helmontio & contribulibus aliis materiam hanc non latitantum in sanguine vitiosorum humorum sebole, sed bonorum in ipsa ulcerata parte corruptorum partem dicunt; sed dicunt sensibus & ratione sanâ contraeuntibus: morbos his sanguinis sordibus debitos, fluente feliciter fonticulorum humore, tolli plurimos, nemo non novit: causam ergo his evacuari morbificam, non solùm corruptum partis sanguinem, necesse est: allii assumti odorem, aceti aut succi limoniorum aut aurantiorum acorem tertiam aut quartam à comedione horâ humores extillantes retulisse Christoph. Benedictus tabidorum theatr. exerc. 29. notavit, saporem olorum comestorum, leguminum, carnis suillæ suscire J. Theod. Schenckius exerc. Anat. 2. l. 1. f. 1. c. 30. scribit, certò altioris scaturiginis argumento.

XXII. Non dubitandum itaque, dum paulatim & per ἐπίκρετον ita variorum mineram affectuum fontes hi, ordinariis naturæ emunctoriis vel deficientibus vel insufficientibus, exhausti, variis omnium ventrium, partium & artuum inferiorum & superiorum morbis, chronicis præcipue & contumacibus, sub debili etiam vi-

rium fulcro & aliis remediis impari, utile non modò, sed & necessarium maximè, sive præservatorium sive curatorium præsidium adferre, ut ita præcipitante nimis judiciō urbe ejiciendos jubeat *Martianus l. c.* qui fonticulis præservatoriè utuntur, nec causæ sat inveniat sive trium ille Imperatorum Medicus *Joh. Crato*, ut suspectos hos vel sympathetis nostris tantùm ob aëris Germanici intemperiem reddat, *consil. 221.* sive *Petrus Poterius*, ut errorem Medicorum, arbitrantium defluxionum curam in fonticulorum tormentis reconditam esse, falsè derideat, *cent. 1. observ. 25.* nec *Fumanella & Primerosius l. c.* mirari necesse habeant, quô juvent modò in brachio aut crure facti fonticuli, capite stillante, aut quâ materia viâ ab internis ad externa fluat; viam sanguinis circulus monstrat, materiam vasa jam adducta suppeditant, motum natura promovet, nec à cerebro, hepate, liene, utero aut similibus privata hæc excrementa accersere opus est. Sanguinis præcipuè purgamentum fonticulus est; cuius dum sordes, potissimum morborum fomitem, exhaustum, dum inordinatum motum, serum, sanguinis aurigam, avertendo, à nobilioribus ad ignobiliora, ab interioribus ad exteriora quasi freno injecto derivando corrigit, sanguinis & consequenter partium omnium intemperiei occurrit, correctoque sanguine omnibus partibus & toti corpori prospicit: quò enim plus humorum hic effluit, eò minus dubio procul in caput, fauces, nares, oculos, pulmones, pedes & partes quascunque influit: contrà hoc sublatō emunctoriō, effluxu hoc denegatō, totum corpus quasi cataclysmō obruitur, morbi omnis generis catarvatim propullulant, sæpè mors ipsa, experientiâ tantum non quotidiana adstipulante, sequitur. Per quam convenienter *Rofinccius*: Veteres nihil memoratu di-

gnum gesturos se arbitrabantur, nisi vim belli aliò transferrent. Consilia hæc Medici imitantur, dum humerum noxiорum impetum ad ignobiliora loca per fonticulos derivant. Olitores currentem suò tramite rivum, quò suadet usus irrigationis, inflectunt: ita Medici cùm non licet ab afflita parte peccantem in ea vacuare materiam, ad proxima divertunt loca, meth. med. spec. comm. l. 4. l. 6. c. 3. In specie horum effetus qui desiderat, adeat Joh. Cunrad. Dieterichium in Jatr. Hipp. sub voce πῦρ, Ephemer. nat. curios. ad annum 3. obs. 156. Christoph. Schororum l. c. Frid. Hofmannum meth. med. Wal. l. 1. c. 20. Rofinccium l. d. Nobis impræsentiarum prolixioribus esse nec licet nec liber, sed pøteriorum priùs symptomatum mentione vel binis injectâ rivum claudemus.

XXIII. Varia autem infortunia comitari non raro fonticulos solent, præprimis non ritè factâ administratione nec debitô in locô, *Fort. Fidel. de rel. med. l. 2. c. 2.* Inter præcipua occurunt inflammatio, gangræna facilè in sphacelum degenerans, carnium luxuries, putredo, præmatura exsiccatio, occlusio, quibus potissimis decenti partis deligatione nec non diligentî sordibus de die ad minimum, vel etiam, magnâ humorum copiâ urgente, ter imperatâ mundatione in occursum ire possumus. Necessaria alia remedia ubivis obvia. Geminam verò quasi panacæam omnibus his opponendam periculis, alteram *Galbanetti*, plusquam mille experimentis nobilitatam, alteram magni *Ducis Hetruriæ Scultetus* l. c. p. 1. tab. 55. describit, qui videatur. Ex crescenciam hanc carnium in fonticulorum labiis è succo nervoso fieri *Francisc. Glissonius de anat. hep. c. 45. Gualt. Charleton. in Oecon. animal. de distributione hujus succi exerc. 10.* volunt. Explodunt verò utrumque *Ant. Deusingius de nutrit. succ. nerv. comm. §. 20. & seqq. Edmund de Meara e-*

xam. diatrib. tb. Willisi de febr. Nec è longinquo petere causam necesse habemus, quam largus subinde boni sudor sanguinis abunde satis ostendit. Hoc symptom a floc- cificat *Hildanus* suâpte facile sponte evanescens, quin & sanguinis sudorem, ut sequatur, frictione interdum pro- vocare jussit. Remedium quærentibus præter vulga- ria cineres ex magmate spir. mellis destilli, calcinato & pulverisato inspersi felicem operam spondent. Exsic- cati hujus fontis, sub arctâ nimis ligaturâ parte & vasis nimis compressis, casum suppeditat Scultet. l. c. tab. 52. fig. 2. Obstructi reserantur secundum Wal. l. d. purgan- te impositô v. g. globulô ex rad. helleb. nigr. agar. rhab. humorem vitiosum modestè advocantium secundum Frid. Hofmannum l. c. Associant alii cantharides, de qui- bus ut & vulgatioribus aliis Autores consuluntur. Nos manum de tabula tollimus atque hanc tractationem cum δοξολογίᾳ divinâ obsignamus, chartæ solūm complendæ gratiâ coronidis l. addentes.

I.

Illud *Julij Firmici* l. 3. c. 5. ex astrorum decreto quo- dam mortaliū cauteriis curatum iri.

II.

Alterum *Primerosii* l. c. in Gallia sordidum adeò & fœdum fonticulorum ulcus haberi, ut, si nubilis pu- ella aut vidua illud habeat, vix prœcos inveniat; si sub- dolè illud occultet, statim atque res nota fuerit, liceat legibus quantumvis solenniter promissum matrimoniu- um deserere.

Risum teneatis Amici!

F I N I S.